IN NVPTIIS
Sereniſſimorum Principum
VICTORII AMADEI
DVCIS SABAVDIÆ,
ET
ELISABETHÆ MARIÆ
FRANCISCÆ
INFANTIS LVSITANIÆ
EPITHALAMIVM.

Hvc agè ſupremi deſcende à culmine Cœli
Caſtus Hymen: te Muſa vocat Cygnea, propinqua
Morte canens, ſed dulce ſonans, & Solis ad inſtar
Suauiùs ad metam iam nocte premente micantis,
Sperne nuces, piceaſque faces: ſplendentia pande
Sidera pro facibus, nucibuſque oppone Planetas.
Non hic vana Venus ſolitos accenderit ignes,
Sueta Cupidineus nec tela intorſerit arcus:
Nec ieiuna thoros circundare pronuba Iuno
Audeat; his thalamis mendacia ficta faceſſant,

A Caſta

Caſta fides, & ſanctus amor Regalia iungunt
Pectora, Diuinis vrit præcordia flammis
Igneus ille Ales; qui viuo incendit amore
Ingenitumque Patrem, Natumq; ex Patre, tuendo
Quem parit, æternumque videt, generatq; videndo.
Tertius amborum flatu procedit ab vno
Spiritus, & nexu coniungit amoris vtrumque.
Hic auſpex, autorque thori. Stat pronuba lecto
Gratia, quæ cogit dextra contingere dextram,
Stringere complexus, niueamque reſoluere Zonam.
Sed quæ cauſa duos lingua, patriaque remotos,
Iungere connubio potuit, vincliſque ligare,
Quæ coniecta ſemel nulli eſt permiſſa poteſtas
Soluere? de Superis ad fædera Sancta vocauit
Ignea lingua, Patrum quæ quondam inuertice ſedit,
Nuncia quæ referens vtriuſque inſignia dona
Corporis, atq; animi communem exciuit amorem,
Alter vt alterius mirando exarſerit igni.
Sanguis alit flammas matrum cum lacte ſororum
Exceptus teneris arcano fædere venis.
Fama iuuat: memorans alias nupſiſſe Sabaudis
Principibus Regum Lyſio de ſtipite natas,
Atque Beatricis tollebat ad æthera nomen,

Em-

Emmanuelis aui sobolem, sortemque trahentis,
Iuraque Lysiacæ non contemnenda Coronæ;
Et fortuna fuit. Virgo vnica, & vnica Princeps
Progenies, sine prole pari, Phœnicis ad instar
Nata domi; nec enim potuit natura creatrix
Ferre duos; non illa capax erat aula duorum
Regia tantorum: fratres non illa virago
Pertulerat: pulchras nec pertulit iste sorores.
Natus vterque sibi; forsaltera contineret ambos.
Hinc Isabella venit quæ Lusitana capessat
Regna, maris domina Oceani, quæ Solis ad ortum
Proferat imperium, rursusq; extendat in Austrum.
Atque iterum Hesperias reuoluta reducat ad oras.
Dux eadem, quà celsa caput Brigantia tollit
Regum altrix, materque domus. Rex Cyprius iste est
Iure vetus, sceptroque nitens Victorius, Alpes
Qui super erigitur, Regique incumbit aquarum
Eridanò, pelagique potens, vbi Nisa coruscat
Ardua, & excelsis de rupibus imperat vndis,
Par ætas, & forma decet; nam Regius Heros
Pulcher adest, sed more viri; micat aureus altæ
Frontis honos, sed mixta notis stat gratia belli:
Scintillant oculi, vis Martia fulgurat intus,

 Ignes-

Igneſcuntque genæ, vacuæ lanugine malæ
Ante diem ventura vocant ad bella ruborem.
Eſt vigor in membris, maieſtas ſpirat in ore
Regia, caſtigatque decus, tornantur in vſus
Belligeros artus, facies auguſta decorem,
Terroremque inter compoſita tuentibus affert
Ambiguos ſenſus: oculos hinc allicit, inde
Territat allectos; cùm candicat vrbe togatus
Diligitur, cùm bella foris armatus anhelat
Horretur, miſcetque vices cum Marte Cupido,
Mars eſt arma tenens, deponens arma Cupido.
Aſperat ira decens pulcram formidine frontem,
Inque vices horretur amor, cùm terror amatur.
Regia ſed virgo quam forma decentiùs ambit
Pulchra nimis, læto æthereum decus exhibet ore.
Splendor obit vultum; geminos duo lumina Soles
Efficiunt, ſatis haud etenim diuiſus vtrique
Sufficeret, lux parua foret pro luce duorum
Cùm Phœbus duplex oculos vix impleat ambos.
Luna ſuperciliis duplicato lumine præſtat
In totidem rutilos geminatis cornibus axes.
Sidera dant fuluos tenuata in fila capillos.
Hoc capit è cælo; reliquos elementa nitores

Sufficiunt,

Sufficiunt, rutilos fert ignea flamma rubores,
Inceditque genas, rores parit æthra niuales,
Terra ebur, atq; rosas, dat gēmea colla profundum.
Quidquid inest pulchrum totū rapit vna, per omnes
Quæ diuisa micant, capit ornamenta, decoris.
Quodque datur paucis: coniuncta est gratia formæ.
Est formosa simul virgo, pariterque venusta:
Pulchra nimis, nec bella minus: natat ore venustas
Grata oculis, mixtusq pudor commendat honorem
Frontis, & augustam condit reuerentia frontem.
Cùm graditur turgescit humus, tellusq; triumphat
Pondere, cùm vehitur curru exultare videntur
Alipedes, quos vrget onus, conuoluere corpus,
Et glomerare pedes, & læto incedere passu,
Atque triumphales connectere more choreas.
O quam te memorem Princeps pulcherrima! quotquot
Versibus eximiis veteres cecinere Poetæ
Insignes forma properant tibi reddere palmas,
Atque tibi primas certant deferre decoris.
Hinc procul Omphale, procul hinc Ariadna facessat,
Quamquam illa Alciden, hæc Thesea ceperit igni.
Hypsipyle erubuit, puduitque Briseida formæ.
Deidamia suos damnauit pallida vultus,

Et quæ Pelidæ mactata est victima busto.
Illa etiam propter quam concidit Ilia tellus
Necnon Hesperiæ miseræ quæ causa ruinæ;
Et quæ Lusiacam meruit post fata coronam.
Quin Amita, & Mater, pulchræ miracula formæ,
Non ausæ certare tibi, stupefacta recedit
Vtraque: nec solùm superas, quas protulit ætas
Formosas, superas etiam quas fabula finxit
Esse Deas, superumque dedit gaudere nitore,
It minor in Superis te Luna, & in æthere Iuno.
Est minor in pelago Thetis aurea, Pallas Athenis:
Cedit pulchra tibi nemoroso in monte Diana:
Cedit in Elysiis tandem Proserpina campis.
Quin & Coa Venus, qualem depinxit Apelles
Anadyomene, quam Græcia tota videndi
Deseruit studio, studiorum oblita, penates,
Æquaret Regina tuum formosa decorem.
Quando nata mari proiecto tegmine conchæ
Solis ad aspectum, sed Sole micantior ipso
Sidereos artus, & eburnea membra retexit,
Inque latus læuum caput inclinata, fluentes
Visa manu niuea liquidas detergere gemmas,
Ireque guttatim pretioso è vertice; quamquam
Gem-

Gemmifero partu turgerent littora, guttas
Quotque manu iaceret tot prodiga ferret amores.
Vincere sola Deas nullo discrimine posses:
Inque tuum ruerent concordia poma fauorem.
Altiùs amborum veniens ab origine sanguis
Ducitur in thalamos, tractus de fonte Sabaudo,
Cùm Moriana domus Taurino è vertice misit
Mafaldam Alphonso, regnique, thorique futuram
Participem: Alphonso, quem Lusitanica tellus
Libertatis amans primum Christo auspice Regem
Constituit Reges contra, Pænosque feroces
Sedibus è patriis iustis vt pelleret armis,
Accepitque nouum diuino stemmate regnum;
Sunt vbi triginta Plagarum Stigmata nummis
Mixta, Crucis pretium, fideique insigne decorum.
Sic placitum Superis: Plagarum vulnera quinque
Ponere, vbi sacro Sudaria sanguine manant:
Extat vbi effigies tumulati in Sindone Christi
Aduersi, auersique notis expressa cruentis,
Dispersæque rubent niueo velamine guttæ,
Iam cælestis hymen celso descendit Olympo,
Empyreus quà luce polus flammante rubescit,

Qualis

Qualis ad Hierusalem thalamos, quæ nupserat agno
Cùm noua sponsa Deo vinclo est sociata iugali
Coniugis in morem cælesti ornata paratu
Venerat arridens: radiis fulgentibus adstat
Conspicuus, stellasque vocans, nitido agmine cælo
Deuocat, & secum trahit ad connubia; septem
Excitat inde vagos Cœlum per inane Planetas,
Ambobus qui facta canant ventura iugatis.
Lucidus à primo se Lucifer exerit ortu,
Pulcher ab Occiduis caput extulit Hesperus vndis,
His ducibus thalamos circundant splendida certis
Astra refixa locis, nitidasque ad lumina tædas
Sufficiunt, clareque nouis funalibus ædes
Irradiant: infert totis Via lactea tectis
Ambrosiæ rores, & viui nectaris haustus.
Incumbitque thoro fausta indulgentia Cœli
Prodiga donorum: tum septem læta Planetæ
Fata canunt. Saturnus opes, atque aurea promit
Flumina. Multiplicis dat sceptra potentia regni
Iuppiter, & varias infigit fronte coronas:
Quas peperit bello sibi Lusitanica virtus.
Robora Mars, fortemque manum promittit in arma,

Belli-

Belligerosque ausus, & gesta insignia belli'.
Alma Venus lætam sobolem, seriemq; nepotum
Innumeram, claram titulis, & honoribus auctam
Conspicuis. Sol fortunæ mirabile donum,
Zodiaci exponit facta ad felicia pompam,
Inclinatque faces, duodenaque lumina plantis.
Cor docile, & pectus sapiens, & mentis acumen
Prouida consilia, & normas, artemque regendi
Mercurius. Luna in populos effusa recepit
Munera se Bacchi, Cererisque, & Palladis arma,
Et facilem annonam terraque, marique daturam,
Fertilis vt duplici geminetur Copia Cornu.
Assensere poli, Stellæque Oracula nutu
Firmarunt: plausere amnes: Tagus aureus Vrnam
Exulit, & liquidum thesaurum infudit arenis.
Parte alia Eridanus niueis argenteus vndis
Affluit, & nitidas dispergit margine gemmas
Hinc Tagides Nymphæ cantu strepuere sonoro,
Hinc Padides lætas choreas duxere sorores.
Hinc sese agglomerant natæ Oceanitides, vdis
Sedibus excitæ, quà Lusitania pontum
Obtinet; inde iugis quà se Taurina coronat

Vrbs,

Vrbs, ruit Oreadum turba inclyta, docta viciſſim
Et pulſare lyram, & celeres miſcere choreas.
Hos inter plauſus ſurgens Hymenæus in altum
Euolat, & medio libratur in aere pennis,
Suſpenſuſque, manu veneranda ſilentia cunctis
Imperat, & ſubito fæcundum numine pectus
Concutit, & modulans venientia facta reſoluit.
Nectite felici connubia ſidere Soles
Heſperii, vos iungit amor cæleſtis, & altæ
Prouida vix mentis; vos facta ingentia poſcunt,
Ampla thori ſoboles, ſeries generoſa nepotum
Par atauis vtriuſque domus, qui regia veſtris
Iura dabunt populis, quà Luſitana propago.
Proferat imperium, quà Sol vtròque recurrit
Ortus, & Occiduus, quà ſeptem clara Trionis
Sidera collucent, quà ſe Crux exerit Auſtri.
Cypria quinetiam repetent florentia regna
Biſtoniæ vi capta manus, quæ iure Sabaudo
Sunt addicta Duci; iunctis mox viribus ibunt,
Et Conſtantini deiectis hoſtibus vrbem
Reſtituent Fidei, Solymæi & Clauſtra ſepulcri
Expedient armis, & aperta in luce reponent,

Atque

Atque triumphali domito ex Oriente paratu
Inter Idumæas Taurina ad mænia palmas
Subiecta ceruice ferent, vbi ſanguinis inter
Relliquias, Sacroſque ſinus, & lintea Chriſti
Corporis, optata demum ſtatione quieſcent.

Canebat
Fr. Franciſcus Macedo.

MC